

Nicolaus Schütze

Programma De Jesu Christo Victore summo & perpetuo propositum In Festo Paschatos

Rostochi[i]: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734835639>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1652

Aug. Varennius

Joh. Corpinus

Aug. Varennius

Joch. Stockmann

Nicol. Schüpe

PROGRAMMA
DE

526.

JESU CHRIS- STO

Victore summo & perpetuo
propositum


IN FESTO PA-
SCHATOS,
RECTORE

NICOLAO Schützen

J. U. D. & Professore.



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
Anno M, DC. LII.



Olemnem beneficiorum
mortis ac resurrectionis CHRI-
STI celebrationem in Ecclesia
nostra quotannis repetendam &
conservandam esse, neminem
equidem dubitare existimamus.

Eam enim magno cum usu fructuq; eximio no-
stro conjunctam esse, facile intelligunt omnes,
qui & gloriam Servatoris sui, & salutem propri-
am curæ cordiq; habent. Augescit ac roboratur
hinc fides nostra, qua indubitante assensione cre-
dimus, JESUM Nazarenum crucifixum ac
mortuum propter peccata nostra, & suscitatum
propter justificationem nostram, juxta Prophe-
tarum oracula, verè Messiam illum esse, Patribus
à DEO promissum. Cæterum ex meditatione
ista plurimum incrementi capit consolatio no-
stra, adversus peccatum, diabolum, mortem ac
mundum: quandoquidem hostes istos CHRI-
STI morte devictos, resurrectione contritos
esse, magno nostro commodo gaudioq; recor-
damur. Deniq; quid suavius, quidve jucundius
piis

piis mentibus esse possit, quàm cum CHRISTO victore triumphum agere, epinicia canere, spolia legere, tropæa statuere, deniq; eidem CHRISTO victori pro parta salute gratias solemnes agere? Quantâ festiuitate, quantoq; gaudio, olim Ecclesia vetus memoriam liberationis suæ per Mosen ex servitute Ægypti anniversariâ solemnitate celebrârit, ex historia sacra cognitum perspectumq; est. Atqui tantò certe majori festiuitate nobis celebranda est recordatio liberationis per CHRISTUM, è servitute peccati & mortis, quantò majus & salutaris est hæc, quàm illa fuit, beneficium. Superat hoc sane omnem eloquentiam, & abyssus est magna omnigenæ consolationis: quoniam omnia, quæ CHRISTUS fecit, saluti nostræ servire voluit. Adscendit ut surculus, ut nobis daret de arbore vitæ: factus est pauper, ut nos ditaret: abjectissimus virorum esse voluit, ne nos abjiceremur à DEO: vir dolorum, ut sanaret dolores nostros: percussus est à DEO, ut ejus iram à nobis in se derivaret: proditus, ut nos reciperemur: captus est, ut nos in libertatem vindicaret: accusatus os non aperuit, non consentiens tacendo, sed despiciens, non refellendo, ut gloriemur nos Ejus potentiâ servatos. Ovis instar ad maetationem ductus est, ut obedientiâ

diētiā suā noſtram expiaret contumaciā: damnatus eſt à iudice, ut damnatos à DEI iudicio liberaret: eductus extra urbem, ut ex mundo in cœlum nos duceret: deputatus inter impios, ut nos filios DEI faceret: crucifixus, ut maledictionem tolleret, veteris hominis noſtri occaſum oſtenderet, atq; omnia ad ſe traheret. Vulneratus eſt, ut nos ſanaret, & obligaret contractos: innocens paſſus eſt, ut eſſet victima pro peccatis noſtris, & nos à reatu abſolveret: clamavit in cruce, ut nos exaudiremur in morte. Mortuus eſt, ut mortuos vivificaret: ſepultus, ut ſepulturam nobis ſanctificaret. Reſurrexit, ut ſe victorem mortis, inferni, diaboli, & mundi declararet. Spem ergò minimè vacillantem concipimus, nihil eſſe quod à dilectione DEI nos ſeparet: pacemque nobis cum DEO intercedere inviolabilem novimus. CHRISTUS victor peccatum abolevit, mortem deglutivit, Diaboli regnum deſtruxit, & potentiam omnem attrivit. Audiamus huius victoriæ teſtem Apoſtolum, ſelectum illud DEI organum: abſorpta eſt mors, inquit, in victoriam. Ubi tuā, ô mors victoria? ubi tuus ô inferne ſtimulus. Stimulus verò mortis eſt peccatum: vis autem peccati lex. Sed DEO ſit gratia, qui dedit nobis victoriam

riam per Dominum nostrum **JESUM CHRIS-
TUM**, Summum illud ac magnificentissimum
triumphi decus apud Romanos illos rerum do-
minos iis tantum olim concedebatur, qui de ho-
stibus, non de civibus victoriam reportavissent,
hostium millia quinque una acie prostravissent,
Romani imperii fines auxissent, ac non nisi cum
publica dictatoris aut consulis, aut Prætoris au-
ctoritate res gessissent. Quòd cum ita sit, si ad
humanæ prudentiæ leges divini triumphi meri-
ta, ponderare fas sit nobis, obsecro vos, cujus
honoris ac triumphijustiores unquam extiterit
caussæ? Si publicæ dignitatis auctoritas requira-
tur, æterni Patris æternus est Filius, ad cujus nu-
tum universa rerum natura obsecundat. Quæ-
ritis quot hostium nostrorum millia prostravit?
Admirantur historiæ sacræ Adonibesech septua-
ginta reges devicisse, suisque pedibus subjecisse;
Samsonem mille Philistinos prostravisse & de
illis triumphum egisse: Angelum centum octo-
ginta quinque millia in castris Assyriorum per-
cussisse: at Conservator noster hostium efferatis-
simorum multitudinem infinitam confregit.
Quæritis quantum populi **DEI** fines amplifica-
rit? orbem universum cœlestis Patris imperio
subjecit. Senatam Romanum, accepto victo-
riæ

riæ Africanæ nuncio; decretâ quadraginta die-
rum supplicatione, plurimis amplissimisque ho-
noribus, Julium Cæsarem, per Senatus consulta
decretis, ornasse referunt historici. Dictator
enim ipse deinceps in decennium creatus: præfe-
ctus quoque moribus Censoris potestate (quod
censoris nomen infra ipsius merita videretur.)
in triennium constitutus, aliisque honoribus affe-
ctus est ita, ut imaginem ipsius simulacrum
orbis terrarum pedibus prementem cum titulo
SEMIDEI (quem tamen postea rejecit) po-
suerint. Quis vero est, qui non intelligat, majores
CHRISTO Duci, sub cujus vexillo pugna-
vimus & in quod juravimus, honores esse exhi-
bendos? Exigit hoc pietas, postulat diei cele-
britas; requirit, quâ CHRISTO obstricti su-
mus, gratitudo. Offeramus Ei exemplo populi
Judaici, palmas; quippe quæ olim victoriæ si-
gnum & præmium erant. Vicit enim hostes an-
timachos eosque potentissimos, & vicit solus,
Pangamus vexillum triumphatori nostro, cum
hac inscriptione: VICIT LEO DE TRIBU
JUDA ET CAPTIVOS DUXIT HOSTES:
ET ADHUC REGNAT, VINCIT, TRI-
UMPHAT.

CHRISTUS *maximus optimusque vincit;*

CHRISTUS *maximus optimusque regnat:*

CHRI-

CHRISTUS imperat & triumphat unus.
CHRISTUS victor, & imperator, & rex
Cunctorum dominantium supremus?
Cum quo vincere & imperare qui vult,
Aut regnare, beatus is triumphat.

Extruamus *μνημόσυνον* aram, addito arcu trium-
phali, & in medio aræ hoc epinicion inscribi
mandemus. Nunc facta salus, & CHRISTO
virtus & regnum DEI nostri & potestas CHRI-
TI ejus; quia dejectus est accusator fratrum no-
strorum, qui accusabat eos ante conspectum no-
strum die ac nocte. Faciamus profectò, quod ab-
solutò olim Romani triumpho, qui nuncupatis
in Capitolio votis gratiarum actionem Diis suis
solemni ritu persolvebant. Vos igitur, Cives
ACADEMICI, qui in CHRISTO trium-
phatis, & quos CHRISTUS facit triumphan-
tes, ut Apostolus loquitur, fideliter rogatos vo-
lumus, ut ferias hæc Paschales dignâ animo-
rum devotione & debitâ gratiarum actione cele-
bretis. Bonam igitur militiam militate, bonam
conscientiam retinete, coronamque vitæ repor-
tate, quam ut reportetis, operæ pretium est prius
cum CHRISTO resurgere. Cum CHRISTO
enim resurgere vita est.

Hæc

*Hac agitate animis hodie, Phœbeia pubes,
Et penitus castos animis assuescite mores.
Quid nivea prodest similaginis azyma vesci,
Ipse suum nisi Pascha animus quoque vivat, &*

omni

*Culparum liber fermento innoxius exstet?
Quare animos opus est purgent, qui rite laborant
Pascha agere, & gratos Domino persolvere honores.*

P.P. Ipsâ Dominicâ Resurrect. Anno
CHRISTI clō lōc LII.



CHRISTUS imperat &
 CHRISTUS victor, & i
 Cunctorum dominantium su
 Cum quo vincere & imperat
 Aut regnare, beatus is triu
 Extruamus *μνημόσυνον* aram, a
 phali, & in medio aræ hoc e
 mandemus. Nunc facta salu
 virtus & regnum DEI nostri
 TI ejus; quia dejectus est accu
 strorum, qui accusabat eos an
 strum die ac nocte. Faciamus p
 soluto olim Romani triumph
 in Capitolio votis gratiarum a
 solemniter rito persolvebant,
 ACADEMICI, qui in CE
 phatis, & quos CHRISTUS
 tes, ut Apostolus loquitur, fi
 lumus, ut ferias hæc Pascha
 rum devotione & debitâ gratia
 britis. Bonam igitur militiam
 conscientiam retinete, corona
 tate, quam ut reportetis, open
 cum CHRISTO resurgere. C
 enim resurgere vita est.

mus.
 rex

trium-
 inscribi
 ISTO
 CHRI-
 tum no-
 tum no-
 quod ab-
 cupatis
 Diis suis
 , Cives
 trium-
 mphan-
 atos vo-
 animo-
 ne cele-
 bonam
 æ repor-
 est prius
 RISTO

Hæc

